



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatus S. Inquisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1670**

Quæst. 9. Vtrùm scientia Dei cum suo obiecto metaphysicè connexa sit;  
aut aliter ad illud relata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77011)

dat attingere illud obiectum, cuius actus est: non item obiecta aliorum actuum, ex quibus scientia vniuersa Dei coalescit. Quemadmodum ad genus attributi iustitiae tantum spectat respicere obiecta iustitiae; non verò itidem obiecta misericordiae. Vnde, si relatè ad suum proprium obiectum, non solum nihil deficiat actui scientiae ex perfectionibus pertinentibus ad proprium genus, sed eas in summo gradu habeat; cuiusmodi sunt infallibilitas, certitudo, cunctantia, &c. nihil ipsi deerit, quominus sit infinitus intra proprium genus; etsi non tangat sumptus praecise reliqua obiecta. Subindeque nihil ei deerit, quominus abique omni imperfectione in Deo possit reperiri. Itaque quilibet actus scientiae diuinæ quoad eiusmodi sui proprii generis perfectiones debet esse infinitus; seorsum quoad extensionem, seu multitudinem obiectorum. In quo differt actus intelligendi ab intellectu. Hic enim non erit plene perfectus intra proprium genus, nisi omnium intelligibilium intellectus sit.

183 **Quarò obijcitur.** Deus est obiectum primum, propter quod caetera omnia obiecta ab ipso cognoscuntur, ita, vt sit verum, fore, vt Deus nihil aliud cognosceret, si se non cognosceret. Ergo Deus vnice est obiectum formale omnis scientiae diuinæ. Confirmatur primò. Quia scientia praestantissima, qualis est diuinæ, praestantissimum obiectum formale debet habere, qualis solus est Deus. Confirmatur secundò. Quia, si creaturae essent obiectum formale ac specificatum scientiae diuinæ, scientia diuinæ, & consequenter Deus ipse cum creaturis connecteretur, nec sine illis esse posset. Quod, saltem loquendo de creaturis futuris, dici non potest. Respondeo ad argumentum, Deum quidem eam tenus esse obiectum primum, propter quod caetera obiecta ab ipso cognoscuntur, quatenus est primum ens, à quo caetera obiecta praesertim possibiliter in suo esse, & consequenter in sua cognoscibilitate, siue obiectiua veritate dependent. Proptereaque fore, vt Deus nihil aliud cognosceret, si se non cognosceret; quia, si se non cognosceret, non esset Deus; & consequenter non existeret. Ex quibus vt summum sequitur, scientiam, quam Deus habet de creaturis ab earum veritate obiectiua determinatus, vt à principio effectiua talis veritatis, non verò vt ab obiecto motiua pendere à Deo. Cum quo stat, non Deum, sed creaturas ipsas esse talis scientiae obiectum formale. Vnde ad primam confirmationem respondeo, non omnem scientiam in suo genere praestantissimam debere habere obiectum formale praestantissimum: nam scientia de creatura in se ipsa tale obiectum non habet. Tamen illud habere debeat scientia in omni genere praestantissima, qualis est ea, qua Deus & se, & caetera cuncta cognoscibilis, nullo dempto, complectitur. Ad secundam confirmationem, quid sit dicendum, constat ex resolutione quaestionis sequentis.

### QVAESTIO IX.

*Vtrum scientia Dei cum suo obiecto metaphysice connexa sit; aut aliter ad eum relata.*

184 **C**um certum sit, scientiam diuinam omnino infallibilem esse iuxta doctrinam statutam, quaest. 1. proposit. 2. ita, vt repugnet prorsus, Deum aliquid falso scire, seu in aliquo falli. Certum quoque est consequenter, scientiam diuinam prout facientem Deum scire, siue prout denominantem eum scientem nullatenus sine suo obiecto consistere posse: atque ita cum illo essentialiter, seu metaphysice connexam esse. Loquor de scientia indicatiua, qua absolutè vocatur scientia. Nam simplex apprehensio, quam Deus habet, vt vidimus quaest. 3. cum sit incapax falsitatis, bene potest sine suo obiecto manere; atque adeò nullà ratione est connexa cum illo, adhuc prout denominans Deum simpliciter concipientem, siue apprehendentem obiectum. Ex quo patet, scientiam indicatiuam Dei quantum ad denominationem, quam ipsi Deo tribuit, scientiam intrinsicè esse relatam ad suum obiectum relatione connexionis. Apprehensionem verò simplicem Dei quantum ad denominationem, quam ipsi tribuit, simpliciter apprehendentis relatam non esse intrinsicè ad suum obiectum relatione connexionis: tamen intrinsicè vt sic sit relatam ad illud relatione non connexionis: eoque quantum ad talem denominationem suapte conceptu est representatio actualis obiecti sui. Quod absque intrinseco respectu, siue relatione ad illud stare non potest, vt constat.

185 **Difficultas ergo est, an scientia Dei siue indicatiua, siue apprehensiva simpliciter quantum ad entitatem omnino identificatam cum Deo metaphysice cum suo obiecto connexa sit, aut aliter relatam ad illud; quando videlicet tale obiectum aliquid est distinctum à Deo: nam quando est ipse Deus, entitas scientiae aequè cum Deo, ac secum ipsa connexa est, vt est notissimum. Quoniam verò idem est querere, an entitas scientiae realiter indistincta à Deo cum alio quopiam sit metaphysice connexa, vel aliter ad illud relatam; ac querere, an Deus ipse ratione scientiae, alteriusve ex attributis prorsus intrinsecis, siue identificatis secum sit metaphysice connexus cum alio quopiam, siue aliter ad illud relatam: sub istisque vniuersalioribus terminis iam est tractata haec quaestio late tom. 1. disput. 4. quaest. 2. nihil ad rem iam hic superest tractandum. Dumtaxatque subinde in praesenti tota illa quaestio à legente recognoscenda est, & ad propositum applicanda tota doctrina eius.**